

pretatus sum Abdiam prophetam, cuius historiam nesciebam? Ardebat animus cognitione mystica; et quia legeram omnia possibilis credentibus, ignorabam diversa esse charismata, literas saeculi noveram, et ob id putabam me librum legere posse signatum. Sperabam in scriniolis latere quod scripseram, et ingenio mei primam temeritatem ignibus voveram, cum subito de Italia affertur exemplar a quodam iuvene, tot annis, quot ego quondam scripseram, laudante opusculum meum. Fateor, miratus sum, quod quantumvis aliquis male scripserit, invenit similem lectorem sui: ille praedicabat, ego erubescere, ille quasi mysticos intellectus ferebat ad caelum, ego demisso capite, confiteri meum pudorem prohibebat. Quid igitur? condemnamus, in quo pueri lusimus? minime: sed libere profiteor illud fuisse puerilis ingeni, et hoc quod nunc scribo maturae senectutis. » Aliquid simile accidit Augustino in explicatione libri Geneseos, quem primo allegorice exposuerat perterritus difficultate historici ac literalis sensus, ut ipse narrat in *Retract.* libro I.

CAPUT II.

DE PROTESTANTUM, SOCINIANORUM ET RATIONALISTARUM SCRIPTURAM EXPONENDI METHODIS

Dicemus imprimis breviter de historia Hermeneutices sacrae apud eterodoxos ab epocha Reformationis usque ad nostram aetatem, tum vero in expendendis Rationalistarum principiis ac systematibus praecipue immorabimur, cum de Protestantum methodis alibi dictum fuerit, Socinianorum vero principia interpretationis vix aut ne vix quidem a rationalismo biblico discrepent: quare de his satis erit pauca in historiae decursu animadvertere.

ARTICULUS I.

PRAEDICTORUM SYSTEMATUM ORIGO PROGRESSUS ET VARIAE FORMAE

Quamvis antiqui haeretici praecipue spernerent catholica principia, et Scripturam ad suos errores contra Ecclesiae mentem et iudicium detorquerent, generatim tamen non enunciabant theoriam

aliquam, qua dicerent Scripturae interpretationem independentem esse a sensu Ecclesiae et traditionis: quinimo omnibus modis conabantur Ecclesiam et Patres in suum sensum pertrahere. Verum saeculo XVI reformationis religiosae antesignani Lutherus, Calvinus, Zuingleus alique formaliter, uti aiunt, enunciarunt hoc principium: *Unumquemque fidelem per se, et absque ullo respectu ad authenticam Ecclesiae magisterium, Scripturam intelligere posse, et ex ea fidei suae normam accipere.* Lutherus in lib. *De Institut. ministr. Eccles.* (Opp. lat. Ienae 1537 Tom. II, pag. 384) disserens de dogmatica Scripturae interpretatione, nonnullis adductis textibus, subdit: « His locis. . . . totius Scripturae docemur, ut nostrae propriae quisque per se salutis rationem habens, certus sit, quidquid credat et sequatur, ac index liberrimus sit omnium. » Et in *Confess. Augustana* (Lutheranorum) Art. XV legitur: « Credimus, conflentur et docemus, unicam regulam et normam, ex qua omnia dogmata, omnesque doctores iudicare oporteat, nullam omnino aliam esse quam prophetica, et apostolica tum Veteris tum Novi Testamenti scripta. » Eadem leguntur in *Confessione Helvetica* (Calvinistarum), in *Confessione* seu XXXIX articulis Anglicanorum, et in libris omnium sectariorum illius et sequentis aetatis. Hoc igitur commune fuit principium omnium Protestantum. Verum in ratione explicanda qua unusquisque Christianus deberet, aut posset Scripturam intelligere, inter se dissentiebant, et in duo diversa systemata abierunt: aliud est systema *rationale* Lutheranorum, Episcopaliū aliorumque, qui ex *privato uniuscuiusque iudicio* dicebant Scripturae sensum certo determinari posse, idque sive ob Scripturae evidentiam, sive saltem adhibitis Hermeneuticis sacrae adminiculis: aliud est systema *pietisticum* a Calvinistis proclamatum, et ab aliis minoribus sectis deinceps receptum, in quo supponitur unicuique fidelium Spiritum Sanctum adesse interna, et *privata illustratione atque unctio* suggerentem et revelantem Scripturarum sensum, omniaque ad fidem et salutem necessaria. Principia huiusmodi longe lateque disseminata paulo post fructus suos edere coeperunt, discordiam nempe incredibilem, et babelicam confusionem in Protestantum castris, quae vivente adhuc Luthero in tantum exereverat, ut ipse exclamaverit, nisi finis mundi cito

venerit, fidei concordiam impossibilem futuram (1). Ut ingruenti malo remedium aliquod afferrent, coeperunt Protestantes consensus, seu *consistoria* convocare, et *symbola fidei*, seu, ut vocabant, *Confessiones* edere: Lutherani suam vulgaverunt Augustanam Confessionem, Calvinistae Helvetii tres Confessiones Helveticas dictas (annis 1532, 1536, 1566). In Gallia synodus quidam Parisiensis reformatorum theologorum edidit suam Confessionem seu symbolum an. 1559, aliam ediderunt Calvinistae in Hollandia an. 1569, quibus postea accesserunt duo aliae in Synodis Dordracensibus concinnatae annis 1618 et 1619, et in Provinciis Rhenanis catechismus a Friderico III Calvinistis propositus inter libros symbolicos huius sectae receptus est. Anglicani Episcopales sub Elisabetha in Synodo Londinensi Confessionem suam ediderunt additis quibusdam articulis symbolo fidei sub Eduardo VI iam vulgato, quae confessio XXXIX articulis constat. Quamvis notandum sit Augustanam Confessionem etiam a reformatis seu Calvinistis aliquando receptam fuisse, et in genere ab omnibus Protestantibus in magna aestimatione haberi. Omittimus symbolicos libros minorum sectarum. Scopus harum Confessionum, ut diximus, erat ut uniformitas fidei saltem inter aeseclas uniuscuiusque sectae induci et conservari posset, ad quem finem non modo iurisiurandi sacramentum a professoribus, et ministris suis exigebant: sed aliquando etiam externa sanctione mulctarum, et carceris conati sunt omnes ad symbolicam illam fidei professionem cogere. Verum contradictio quae in hac agendi ratione involvebatur, cum scilicet libertatem iudicii practicae adimere vellent, quam ut principium fundamentale suae religionis posuerant, haec, inquam, contradictio ita evidens erat, ut plerique Protestantium se minime in conscientia adstrictos crederent symbolicorum librorum auctoritate, atque ita remedium discordiae allatum non est, sed contra haec ita crevit ut non solum novae in dies sectae pullularent inter se contradicentes, sed et unius eiusdemque sectae membra in gravissimis etiam dogmatibus ex Scriptura eruendis dissentirent. Interim defectus

(1) Lutherus: *De veritate Corporis Christi contra Zwinglium*: « Si dicitur, inquit, steterit mundus, iterum esset necessarium, ut propter diversas Scripturae interpretationes quae nunc sunt, ad conservandam fidei unitatem Concilii decreta recipiamus atque ad ea confugiamus. »

externi magisterii, et effroenata indicandi libertas coepit paulatim ipsa Christianae religionis fundamenta in quorundam Protestantium mentibus labefactare, et convellere. Hinc ortus *Socinianismus*, qui repraesentat veluti alterum stadium religiosae libertatis a Protestantibus proclamatae. Ex sinu Calvinismi haec secta ortum habuit a duobus Socinis Laelio, et Fausto eius nepote, quorum primus in Helvetia obiit anno 1562, alter Cracoviae anno 1604: hic alter tum Laelii scripta collegit, tum sua addidit, et formam errori indidit, qui ab eo proprie Socinianismus dicitur est. Huius systematis sectatores ex Helvetia expulsi in Poloniam secesserunt a Gubernatore Odoliae in patrocinium recepti, unde eis *fratrum Polonorum* appellatio adhaesit: dicuntur etiam *unitarii* eo quod unam Dei naturam praedicent, negata distinctione Personarum. Opera Socini et praecipuorum Socinianorum octo tomis comprehensa apparuerunt sub titulo: *Bibliotheca Fratrum Polonorum, quos Unitarios vocant*. Horum praecipuus et subtilissimus est Crellius, qui speciatim mysterium SS. Trinitatis, et divinam Christi naturam impugnavit. Systema Socinianum ad hoc revocari potest: mysteria Christianae fidei in Scripturis revelata eo tantam sensu admittenda esse quatenus ad veritates philosophicas reduci possunt, non autem eo sensu quo captum rationis superent, quae sola veritatis norma est. Interim vero terminologia dogmatico-ecclesiastica retinenda est, sed dumtaxat ut forma loquendi, et conventionalis expressio veritatum rationalium. Hinc ex. gr. Sociniani tres in Deo personas, seu Patrem, Filium, et Spiritum Sanctum cum Scriptura existere confitentur, sed nihil aliud esse contendunt quam tria Divinitatis attributa potentiam, sapientiam et bonitatem: Verbum carnem humanam suscepisse fatentur, sed tantummodo per unionem gratiae cum hominibus, minime vero hypostaticae, et hunc dicunt esse sensum Iohannis Io. I, 14, et ita de reliquis mysteriis. Uno verbo Socinianismus purus putusque naturalismus est, quo nempe absolute negatur quidquid intra limites rationis ac naturae non continetur, servata tantum externa et conventionali forma loquendi, qua veluti larva quadam tegitur ut facilius incautos decipiat. Postquam humanum ingenium hac via aberrare coepit sponte sua in apertam incredulitatem proruit, quae circa medium saeculum XVII in aciem prodians longe lateque grassari

coepit in regionibus Protestantium, et in dies crevit usque ad nostram aetatem.

Haec effroenis cogitandi licentia, qua omnis revelatio, ac genuina Scripturae interpretatio susdeque vertitur proprie *Rationalismus* religiosus, ac biblicus dici solet, et exhibet ultimum stadium religiosae libertatis a Protestantismo olim proclamatae. Sed quoniam iste error multiplicem formam ac vestem induit, operae pretium erit eius historiam breviter pertexere. Incredulitas religiosa in Anglia originem habuisse videtur: siquidem usque ab aetate Caroli II an. 1660 auctores Angli apparuerunt qui aperte Deismum, naturalismum, aut scepticismum profitebantur: nota sunt nomina Herbert, Tindal, Hobbes, Hume, Gollins, Bolingbroke, Woolston, Toland, quibus nullum est mysterium, nulla revelatio, nulla Scripturarum inspiratio, et divina auctoritas, aut etiam historica veritas. Ab Anglis pestis haec Gallias invasit: hinc philosophismus saeculi XVIII, qui paulo post in apertum socialismum erupit sub finem eiusdem saeculi. Praecipuum huius novae scholae opus in Gallia fuit *Encyclopaedia*, cuius auctores plus minus hoc veneno infecti omnibus noti sunt Voltaire, Diderot, Alembert, Bayle, Rousseau, Dargens, Damilaville alique. Nec immunes ab hoc malo evaserunt altae regiones ubi Protestantismus dominabatur, ut Helvetia, Hollandia et imprimis Germania. Quinimo *Rationalismus exegeticus*, seu biblicus, in Germania suam veluti sedem ac domicilium fixit, ibique determinatas formas accepit, de quibus nunc dicendum est. Scilicet hucusque increduli et rationalistae praesertim Angli et Galli Revelationem et Scripturam, omni detracta larva, impugnaverant, quidquid in ea supernaturale est negantes, irridentes, et conviciis impetentes. Germani magis scientifico, et si ita dici possit, gravius et serius hoc bellum aggressi sunt (1). Scilicet specie tenuis Scripturam admittebant, et summis laudibus

(1) Licet aperta incredulitas in Germania quoque fautores haberet praesertim sub regno Friderici II Borussiae regis Gallorum incredulorum patroni, plerique tamen aliam viam, ut diximus, inierant. Hi seipsos vocabant *Illuminatos* (*aufgeklärten*) et ad sua principia efficacius propaganda periodicum opus vulgare coeperunt Berolini an. 1766-1806 per Frid. Nicolai typographum et socium, sub titulo *Bibliothecae germanicae universalis*, cui conficiendae ultra 130 auctores adlaborarunt.

extollebant, interim vero ope biblicae eruditionis, praesertim philologiae et archaeologiae orientalis, ita eam explicandam esse contendebant, ut omnia supernaturalia sive in ordine veritatum, sive in ordine factorum ab ea eliminarentur. Ad hoc vero assequendum modo voces in diversa significatione accipiendas esse contendunt, modo metaphoras ad lubitum confingunt, modo dicta Hagio-graphorum tamquam communia Hebraeorum adagia explicant, nunc doctrinas a Christo et ab Apostolis non ex propria sententia, sed ad hominem, ut aiunt, vel ex accommodatione Hebraeorum praecudiciis facta explicant, aut demum contendunt non praecise historicum sensum, sed id quod sub eo latet in Scripturis esse attendendum: atque ita nullo fraeno interpretibus iniecto, omnia in Scripturis exponendis licita esse autumant, dummodo nullus admittatur sensus qui supernaturale aliquod dogma aut factum contineat. Huius *novae Exegeseos*, uti vocant, fundator ac veluti parens fuit *Io. Salomon Semler* professor Halensis, variis editis operibus, et imprimis: *Apparatu ad liberalem V. et N. T. interpretationem*, Halae 1767-73. Semel autem proclamatis novis haece interpretandi principiis favorem nacta sunt in omnibus fere Universitatibus Germaniae, unde innumera fere scripta prodierunt quibus rationalismus exegeticus plus minus aperte docetur, exornatur ac nova ac diversa forma induitur. *C. F. Bardht* professor Giessensis in Assia conatus est novam exegetim popularem reddere variis vulgatis scriptis ut sunt: *Parva biblia; Almanach Ecclesiarum et haeresum; Apparatus criticus ad formandum interpretem V. T.; Specimen systematis dogm. bibl.* (1780-92) Eodem tempore *Io. Goth. Eichhornius* professor Gottingensis eadem fere principia professus est in *Introductione in libros V. T.* Lipsiae 1780-83: *Introd. in apocrypha V. T.* 1793, *Introd. in libros N. T.* ibid. 1804-14, in quibus operibus vaticinia Prophetarum de Christo negat, et prima Geneseos capita *mythice* primus exponit. Hunc sequitur *Guill. Bauer* in *Hermeneutica V. T.* Lipsiae 1797, et in *Mythologia hebraica V. et N. T.* ibid. 1802, ubi mysticum Scripturarum sensum de medio tollit, et *mythos* ulterius in Scripturis extendit. Emmanuel Kant celeberrimus philosophus Konigsbergensis doctrinam Scripturae ad mera philosophica principia practica revocare contendit in suo opere: *Religio intra limites rationis purae.* Konigs-

bergae 1793 (1): in hoc opere sectatores novae exegeseos *Rationalistas* vocat, quae appellatio veluti propria eis adhaesit. Paulo post *Paulsius* prof. Heidelbergensis novam formam rationalismo biblico dare conatus est, quam *psychologicam* appellavit, in *Comment. in N. T. Lubeck* 1804-8; *Vita Jesu* Heidelberg. 1828; *Manuale exegeticum in tria priora Evangelia* ibidem 1828, in quibus conatur omnia mysteria, omniaque miracula in N. T. narrata per subiectivam quamdam rerum apprehensionem in eventus aut doctrinas mere naturales convertere. *D. Strauss* Tubingensis in celebri opere: *Vita Jesu* Tubingae 1835, mythicum systema libris N. T. accommodans totam Evangelicam historiam in fabulam convertit. Hunc fere sequuntur *Bruno Bauer* prof. Bonnensis, et *Ern. Renan* Prof. Parisiensis in sua *Vita Jesu* Paris 1863 et deinceps saepius recusa, nec non *D. Littré*, qui pariter in Gallia opus *Straussii* gallice conversum vulgavit ed. 2. Paris 1853. His se adiunxerunt alii quamplures *mythicae interpretationis* fautores tum in Germania, tum in aliis regionibus, qui scholam uti vocant *Tubingensem* constituunt; et in Scripturis tractandis *criticam negativam* (seu destructivam) sequi gloriantur. Haec est veluti ultima expressio exegeseos rationalisticae, quae nihil in Scripturis intactum relinquit eorum ex quibus divinae Scripturae sanctitas, auctoritas ac utilitas pendet. Huiusmodi effroeni licentia permoti ac veluti expergefacti Protestantium doctores, qui orthodoxos, et conservatores se vocant remedium aliquod malo afferre conati sunt opposites rationalisticae exegesi saniozem aliquam methodum sive mysticam, sive grammatico-historicam, sive etiam traditionalem, et analogiae fidei symbolorum accommodatam, sive demum quam vocant pan-harmonicam. Horum coeteroquin laudabile studium quomvis efficaciter malum remove nequiverit, ob defectum scilicet tum auctoritatis, tum saniorum principiorum, quibus et ipsi magna ex parte carent, pluribus tamen scriptis occasionem dedit, in quibus Scripturarum sanctitas, ac reverentia eis debita utcumque servatur, et in quibus plura occurrunt ad sanioris hermeneuticae expositionem opportuna. Ita *Guericke* libros N. T. contra subversivas

(1) Hoc opus, et pleraque alia hic commemorata germanice scripta sunt, sed eorum titulos claritatis et brevitas causa latine tantum dedimus: ut alias plerumque facimus.

theorias Dewette vindicat: *Hävernick*, et *Hengstenberg* vaticinia et historias V. T. strenue defenderunt, *Uster*, et *Rückert* grammatico-historicae interpretationi primas partes dederunt, cui etiam utilem operam contulerunt *Winer* et *Fritsche* suis philologicis scriptis, *Lücke*, *Tholück*, *Olshausen* exegetica sanctorum Patrum scripta in subsidium vocarunt: quibus merito addendi sunt quidam ex anglicanis doctoribus ut *Horne*, *Bargon* aliique.

Ex hac brevi expositione manifestum fit ad quae extrema devenerint exegetae Protestantes ob reiectum Ecclesiae magisterium et analogiam catholicae fidei in Hermeneutica biblica. Interim notare iuvat discrimen quod existit inter systema interpretationis *protestanticum* proprie dictum, et *rationalisticum*. Utrumque convenit in eo quod excludunt Ecclesiae iudicium, et solam rationem iudicem constituunt in Sacrae Scripturae interpretatione. Discrepant autem in hoc quod Protestantes (orthodoxi dicti) rationem volunt esse iudicem sub respectu tantum hermeneutico, scilicet in decernendo, quinam sit Scripturae sensus: hunc autem semel inventam parati sunt recipere etiam si aliquid supernaturale contineat; siquidem Scripturae tum veracitatem, tum divinitatem admittunt. Rationalistae vero ulterius progressi rationem individualem iudicem constituunt etiam sub respectu critico, scilicet in decernendo utrum sensus Scripturae verus sit et admittendus, an falsus et corrigendus. Primi volunt per se iudicare de sola veritate hermeneutica locorum Sacrae Scripturae, secundi etiam de veritate obiectiva. Sociniani autem a rationalistis proprie non differunt, nisi forte in terminologia, seu in usu loquendi magis dogmatico, ut superius diximus. Systema vero rationalisticum ad quasdam principales formas reduci potest ut ex dictis apparet, mox autem distincte explicabimus ad clariorem et faciliorem eius refutationem.

ARTICULUS II.

NOVORUM SYSTEMATUM IMPRIMIS RATIONALISTARUM REFUTATIO

De Protestantium proprie dicta exegetica methodo satis esse possunt quae alibi disserimus, scilicet de methodo *Pietistica* seu *luminis interni* Calvinistarum quorundam et Quakerorum, ubi de